

THIS IS A SAMPLE

To order the full book visit

www.edizionidellavigna.it

or email info@edizionidellavigna.it

OMNE IGNOTUM PRO MAGNIFICO



Per ordinare il libro completo, collegatevi a

www.edizionidellavigna.it

o telefonate allo 02.9358.3670

Edizioni Della Vigna

www.edizionidellavigna.it

Printed by arrangements with the authors.
Copyright of the single stories by the respective authors, see
the copyright notice included in each story.

Translated from Italian by Roberto Bianchi, copyright © 2012

Cover image © 2011 Alexa Cesaroni

This book © 2013 Edizioni Della Vigna di Petruzzelli Luigi
Via Matteotti 45/97, 20020 Arese (MI), Italia
Phone +39.(0)2.9358.3670, email info@edizionidellavigna.it

No part of this publication may be reproduced in any form or
by any means without the prior permission in writing from
the publisher.

www.edizionidellavigna.it

ISBN 978-88-6276-042-3

www.edizionidellavigna.it

Quid ad hoc opus nos induxerit

Abhinc aliquot annos Ludmila Freiova, Cecoslovachiae scriptrix Italici sermonis et Italicarum litterarum studiosa, quae semper scripta mea convertit ut in re publica quae nonnullis ante annis Cecoslovachia appellabatur vulgarentur, mihi scripsit ut me certiolem faceret eius fratrem cum tota familia sua, id est cum uxore tribusque liberis, Molfettam perventurum esse ut reverendum Toninum Bellum conveniret, qui tunc episcopus erat. Mihi rettulit se praelatum quoque docuisse, cui nomen meum dederat, si forte qua difficultas fratri occurreret. Reverendus Toninus amicissimus meus tunc erat. Omnium quidem amicus erat, verum est, sed quotiescumque variis de causis vel per viam congregiebamur, is brachium meum blande amplectens dicere solebat: “Animadvertite: quod scribis lego.” Cui ego “Reverende, non omnia scripta mea tibi legenda sunt” respondebam. Ille subridebat. Singularis, unicus erat. Etiam nunc ego, manifeste superbiens, parvulam spem habeo “alae subsidiariae” inventum ei suscitatum esse fabula mea *De caeli populo*, in qua de “volatoribus” eorumque praestantibus alis loquor.

Sed de hoc satis: aliud mihi dicendum est.

Ludmilae fratris familia Molfettam ad tempus pervenit, quam magno cum gaudio a me exceptam ad reverendum Toninum adduxi.

Valde obstupui, quod illa familia quinque quidem linguis egregie utebatur, videlicet praeter suam.

Mihi quaerenti quemadmodum tam multas linguas scirent responderunt in patria sua, illo tempore dominatui subiecta, propter severam imperii censuram nullo pacto fieri potuisse ut fabulosae narrationes e peregrinis linguis conversae invenirentur, quamobrem ipsa scriptoris lingua eas emere consueverant et noctu, in vicem, pro singulorum scientia, alter librum vertens legebat, alteri audiebant. Obstupui. In Italia, ubi liber res supervacanea vel inepta effusio existimatur, ubi legere vetustorum hominum est, ubi bibliothecae solum ad aliquas pelliculas cinematographicas servandas utiles putantur, aliquem audire ad librum legendum paratum vel impendio et commercii et corporis integritatis suae animum meum auxit: minus alienum me sensi.

Itaque hoc cogitavi: “Utinam sermo universalis sit, qui omnibus permittat et cum omnibus loqui et omnes auctores legere!”

Utinam sit...

Temptata erat lingua Zamenhofiana, infeliciter.

Reverendus Toninus autem quaestionem expedivit.

Communes amici nostri Italicum sermonem quidem ignorabant, neque ille sanctus vir, reverendus Toninus, unam ex eorum linguis sciebat. Ille tamen animo non defecit. Namque illius familiae pater vero universalem linguam sciebat: Latinum sermonem.

Latine locuti sunt optimeque inter se communicaverunt. Ego quoque aliquid comprehendi, quamquam mathematicis disciplinis studui.

Postea accepi nonnullas gentes Latinam linguam cognoscere et ea uti, a Peruvia usque ad Finniam, a Foederatae Americae Civitatibus usque ad Australiam.

Re vera universalis lingua est.

Iam tum obstinata voluntas mihi fuit commenticiae de rerum futurarum scientia fabulae Latino sermone edendae.

Plurimos doctores consului, qui fieri non posse ut res perficeretur constanter mihi dixerunt. Nos tamen, qui de commenticia futurorum scientia narrationes scribimus, quod impossibile videtur cotidie experimur.

Postremo omnia evicimus, propter et magistrae Valentinae Altamuræ meditationem et Aloisii Petruzzelli editoris audentiam et maxime Roberti Bianchi doctoris supremam curam.

Per quos quod impossibile videbatur nunc vobis praesto est.

Donato Altomare

Cor gelidum

CUORE DI GHIACCIO
Copyright © 1986 Donato Altomare
First published in Italian in *Pulp* n.15

www.edizionidellavigna.it

Ipsa pallebat; sanguineis venis oculi suffusi erant ob lacrimas somnique privationem; vultus purus, nullo fuco tinctus, subtristis, aliquantum eius maturam venustatem minuebat.

Navicula sideralis paulo ante appulerat et iam externa portula patefacta erat. Per acclivem aditum tardus incessus graviter resonuit. Christina immota stetit. Accuratissima mandata acceperat: doctor Kalimor, a Terra in illam stellam missus, ei exspectandus erat. Sufflans ianua se aperuit: candidae lucis unda una cum gelu irrupit. Statim hominis ponderosa pellicea veste contacti imago apparuit, candidam atque amplissimam glaciem post se extensam occultans. «Mihi nomen Amir Kalimor est.» Cucullum levavit, vultum aquili coloris ostendens. Leniter risit, sed tantum labiis, quia oculi loquaces non erant. «Doleo quia tali rerum discrimine cognitionem vestri capio,» manumque tetendit.

Christina dexteram sine mente ac ratione strinxit, secum dicens «Quotiens haec verba iteravisti?» sed tantum «Christina Monti,» inquit. «Peto mihi ignoscatis, sed bene non valeo ad salutem dandam et reddendam.»

Doctoris risus celeriter evanuit, cui magna conturbatio successit, pariter sollempnis. «Comprehendo,» inquit, officii causa suspirans; deinde «Tesseras vestras, quaeso, et scidulam clinicam mihi ostendere vultis?»

Mulier petita tradidit et patienter exspectavit quoad ille omnia intento animo consideraret.

«Pulchre vobis est: descendere potestis,» inquit, «sed antea vobis induenda est pellis quam proficiscens accepistis. Scito in M3 Serpentis solum glaciem esse geluque vix tolerabile.»

Mulier se vertit ad pelliceam vestem quaerendam, quam visam, nullum verbum proferens, induit. Centumpondium pendere videbatur. Interea doctor foras intuitus erat ut inspiceret num aliquot grandiores arcae in sentinam imponderentur; postea ad Intercom appropinquavit et abscisa iussa rectori dedit. «Navicula,» explicavit, «in hac stella diu manere non potest. Ubi descenderimus, denuo proficiscetur. Vos praegredior.» Celeriter deorsum pervenerunt. «Diu in glacie non ambulabimus, tamen vobis suadeo ut perspicilla induatis. Lucis repercussio molesta est. Illa in vestis funda invenietis.»

Rursus illa tacita oboediit et statim respiravit.

Non multum discesserant, cum sibilus a tergo naviculae profectionem nuntiavit. Qui stridor ei visus est ut sui proprii sepulchri se occludentis crepitus.

«Advenimus.»

Christina circumspexit. Solum glaciei immensum unius coloris spatium vidit. Deinde oculos ad comitem suum convertit. Magnum foramen erat et cochlea, per quam Kalimor descendit; ilico ipsa secuta est. Aliquantulum temporis supererat quin ob

gelu statua fieret. Diu descenderunt, donec in locum omnino in glacie excavatum pervenerunt et fuscam terram loco inferiore attigerunt. Abhinc nonnulli cuniculi in orbem sinuati proficiscebantur. Statim Christina crescentem calorem animadvertit, quam ob rem gravis pellis ut furnus ei videri incipiebat.

«Vestem exuite,» suasit Amir suam exuens. «Calidus ventosus aër his omnibus locis circumit. Cavete ne diutius parietibus nitamini. Plane glacies est.»

Detracta veste, illa melius valuit. Perspicilla quoque dempsit et medicum in quoddam vere insolitum cubiculum secuta est, pernovis supellectibus, subalbis parietibus, in nuda terra umidula atraque situm. Secum quaesivit quidnam solidum pavimentum deesset. «Adsidete, quaeso. Paucis temporis momentis totus vobis ero.» Videlicet Amir Kalimor assuetus imperio erat. Etiam aliquid comiter petens imperare videbatur. Expectavit quoad mulier super sellulam belle assideret, deinde obsoletum telephoniumprehendit. «Greta, nosocomium in Terra evoca.» Post aliquot temporis momenta «St. Louis Interplanet Hospital, adestis? Cum Ferghatner doctore colloqui velim... Vincent, adesne? Bene, Amir sum. Omnia prospere eveniunt. Mulier Monti hic adest.» Quaedam confusae voces ab altera parte. «Ita est: navicula cum merce profecta est: quindecim arcae, ex solito. Nulla difficultas proposita

est. Pactum omnino viget.» Leniter risit: probabiliter Vincent ei gratulatus erat. «Tibi gratias ago. Non unus ego mereor. Spero fore ut mox te videam. Vale,» et commercium linguae conclusit. Iam non subrisit. Oculos in mulierem convertit. Is videbatur ut exsatiata feles barbam labri superioris lingens. «Vobis secreto confirmo Permutationis Pactum sancitum esse. Post paucos dies exemplar vobis mittetur voce in magnetophonio incisa, videlicet natura propria desponsa. Spectatissima femina, cum vos... e vita excesseritis, liberi vestri ditissimi fient.»

Christina labia momordit: illam mortis suae significationem aegre perpetiebatur. Fletus desiderio incensa est, sed eius oculi omnes lacrimas exhausserant. Solum «Mihi quiete opus est,» inquit.

«Veniam peto, recte dicitis. Helga in domicilium vestrum vos comitabitur.» Quodam capitis motu aliquid post mulieris terga significavit.

Neminem post se Christina animadverterat. Caput vertit et facere non potuit quin horreret. Quidam Vegenem plane immotus in eam oculos figebat.

Parva urbs erat, in glacie excavata; complures sedes varia magnitudine inter se cuniculis gradibusque iunctae eam faciebant. Ob caeli asperitatem eis qui de M3 Serpentis gente supererant illa necessaria sedes erat.

«Hic est Kendus, Vegemenum dux. Si quid vo-

bis opus est, eum adite. Ego in area quae ad terri-
colas pertinet semper manebo, in Sede, cum sociis
meis. Rogo animi tranquillitatem semper servetis:
haec omnia nulla nec nostra nec Vegemenum gentis
culpa existere considerate.»

Ex solito, Amir non inconsulte locutus erat. Rap-
tim salutans, caput inclinavit et abiit, Christinam
solam cum Kendo relinquens.

Difficiliter ipsa rem patiebatur...

«Spero fore ut aequo animo hic maneatis.»

Illa superciliosum caput extulit. Sane hominis
vox erat, sed languens, hebes. Et figura quoque
hominis erat, nec aliter esse poterat, quia corpus
hominis *fuerat*, miseri sicut ipsa.

«Ne irascamini, quaeso, sed praeferam neminem
vestrum apud me sistere, saltem dum cogar.»

Kendus capite graviter annuit. «Quid sit irasci
nescimus.» Eum discessurum Christina, quam im-
pellebat quaestio de absurdo pacto proposito, vo-
cavit et ei respicienti «Licetne vobis,» quaesivit,
«cuidam quaestioni respondere?»

Kendus annuit. Tum ea: «Quid?... Quid haec om-
nia?...» et duabus manibus semetipsam demonstra-
vit, corpus suum proprium.

Paulisper taciturnus stetit Kendus, quasi quaes-
tio ei inopinata accideret. Quae mora mulieri dedit
ut eum perspiceret. Involucrum humanum erat, sed
intus... Sane quidem incolae M3 Serpentis arbores

erant. Ipsi in mortuorum corpora ingrediebantur. Re vera hoc mulieri dictum erat.

Eum inspiciens, illa animadvertit quam alienus esset. Eius oculi inusitati erant, subvirides, tenues lineas proferebant velut foliorum nervos. Ubi cutis nudam se ostendebat, persubtilia fila, vix aspectabilia, apparebant, minusculae radices, quas tantum diligens contemplator a naturali lanugine dignosceret. Loquens, parum os aperiebat, cum reliquus vultus non mutaret.

«Olim... ante centum ac mille annos,» submissa voce exorsus est, «haec stella vacua glacie et vita abundans erat. Nos in convictu cum quadam forma animalis generis vivebamus, in cuius corpus cum ad adultam aetatem pervenerat ingrediebamur et una cum eo moriebamur, decies autem eius vitam producentes. Funesta die universi nostri sol collapsus est et celeriter calorem amisit. Eadem velocitate vita quoque exstingui incepit hospitesque nostri primi ceciderunt. Nos... intellegentia, ipsi... corpus, uno vinculo copulati. Cum autem ultimus eorum, inedia geluque confectus, e vita discessit, centum ac mille annis in dispari certamine exactis, sors nostra designata videbatur. Quodam autem tempore hoc solum strepentibus missilibus attigit Homo, cognoscendi cupidus. Resciscentes corpora vestra post mortem abici, horruimus, tantae dissipationi non credentes.»

«Me prosequi inutile est: de historia agitur. Laboriosam pactionem fecimus, quam vos, domina, bene cognoscitis.»

«Gratias ago. Amplius non quaeram.»

«Nihil iam est quod quaerendum vel dicendum sit. Vota facio ut quiescatis. Vobis difficile non erit in consortio nostro paucos restantes menses vivere. Deinde...»

«Deinde illius consortii partem habebō,» mulier conclusit, dum acerbus maeror eius animum lacerat. Facile prorsus non erat de incurabili morbo suo aequo animo cogitare.

Kendus leviter caput quassavit quasi eam reprehendens, deinde exiit, tarde per atrum solum procedens, in quod parvae radices *semper* se infundere debebant.



Tempus celeriter transibat. Mirum, quia tantum taedium mulieri comes erat. Iam ipsa nullum Vegetamenem videbat. Praeter Helgam, advenientem quotienscumque appellaretur, numquam quisquam invocatus ad eius conspectum venerat. Ita tamen cum aliquo colloquendi summum desiderium sensit. Saepe de illius gentis, totius illius generis calamitate cogitabat, quod ad extinctionem designatum erat... nisi ad *Permutationem* non gratuitam homines pervenissent. Sed miseratio paulisper durabat, quia

continuo in eius conspectum scidula clinica veniebat. Tunc vitae dies ei restantes recensebat: circiter septem ex medicorum sententia. Multos?... Paucos?... Quis dicat? Tunc ad speculum currebat et vultum suum adhuc pulchrum inspiciens secum acerbe quaerebat: *Quodnam malum feci ut hoc mere-rem?* Sed speculum sensu praeditum non erat neque umquam respondebat. Cibus suavis erat, omnino terrestris, sed ipsa cibum fastidiebat, quasi eius corpus quodvis nutrimentum iam inutile putaret.

Quodam tempore eius maestae cogitationes interruptae sunt.

«Inire possum?»

Subsultans se vertit. Kendi pallidus vultus mar-
morei simulacri facies videbatur, simulacri autem
ex carne et ossibus, trunco et radicibus.

«Iam inistis.»

Vegemen vellicationem non animadvertit. «De
permutationis pacto loqui velim.»

Christina labia momorsit. Minime discutere optabat. «Puto nihil dicendum esse. Centies id legi,
deinde probavi. Nunc amplius id cogitare nolo.»

«Intellego,» neglegens dixit. Ne pessimo quidem
roboto anthropomorphico vox tam hebes atque ha-
bitus tam fastidiosus esse poterant. «Modicam Con-
gregationis petitionem vobis deferre velim.» Mini-
me sollicitus videbatur de dolore qui in mulieris
vultu impressus erat.

Suspirans Christina annuit. «Oro breviter loquimini.»

«Conditio C/XVI bis ad permutationis anticipandae facultatem pertinet.»

Gelidus horror mulieris corpus percurrit. Tremuerunt labia, quae ipsa ad tremorem cohibendum momordit. «Conditionem cognosco.» Cordis palpitationes crebriores factae erant.

«Vobis mercedis incrementum 50% propono, si corpus vestrum nobis permittatis antequam mors superveniat.»

Iram cohibere iam non potuit. Quomodo... quomodo ille tam negligenter de morte loqui poterat? De *ipsius* morte! Repente surrexit. Tumultuosus ventus animi tranquillitatem ac patientiam delevit. «Abite!» aegre efflavit. «Nisi plene absoluteque mortua ero, numquam concedam ut in corpus meum ingrediamini. Numquam. Comprehendistis?»

Kendus vultum non mutavit. Caput more solito demisit et exiit, ex consuetudine tarde procedens, ne pretiosum soli contactum amitteret, mulieris exulceratum fletum post terga resonantem omnino neglegens.

«Male sit tibi!» singultim vociferata est.

Aliquid per aëra volitavit et intra eius capillos se insinuavit. Timore percussa, ad eos quassandos inconsulte manum sustulit. Tenuem rumorem audivit. Vultum demisit et dubitatione aestuans fulgen-

tem rem inspexit, quae videbatur insolitum insectum esse coccinellae simile. Alae se aperuerunt, non ad volandum. Ex interiore parte gilva paginula diligenter complicata patuit. Christina sollicitudines suas paulisper neglexit et curiosa ad eam colligendam se inclinavit. Postea accurate eam aperuit; hunc nuntium parvulis litteris scriptum legit:

IN RECEPTACULUM VENITE. STATIM.
PRO BONO VESTRO.

Nihil aliud. Dubiosa parumper stetit. Denuo perbreve nuntium legit. Quisnam erat?

Cur autem tot occultae res? Fastidivit. Nullam in receptaculum eundi voluntatem habebat. Paginulam abiecit, nullum momentum illi dare statuens. Attamen molestia in eius mentem ut teredo fodere incepit. Fortasse eundum erat. Vel potius non eundum. Immo vero: quid aliud evenire poterat? Nihil, nihil prorsus. Illic iens, animo excurrere et vagari poterat nec semper de eadem re cogitare. Itura igitur erat, ut illi *genti* ostenderet...

Trepidans viam ad receptaculum ingressa est.

Ianua clausa erat, nulla autem clavi. Eam apertura erat, cum aliquid nitens ante eius pedes prosiluit. Modice pavens, parum retrocessit, sed cito subrisit. Argenteus gryllus erat, qui alterum nuntium tradidit:

SECUNDUM CUNICULUM A DEXTRA
SEQUIMINI.

Oboedivit. Inflammata erat, quia novus casus evenire poterat, cuius gratia taedium pelleret. Longulus cuniculus erat rava ianua repente terminatus, in qua scriptum erat:

ADITUS HOMINIBUS OMNINO VETITUS EST.

Bene, optime. Nulla dubitatione interposita (fortasse ludus non erat vel aliquid ipsa ignorabat vel potius ignorare *debebat*), ingressa est. Conclave amplissimum erat, tenuiter illustratum lucibus in glacie celatis, sed visibilitatis satis inerat. Complures arcae clausae aderant, omnino pares illis quas in naviculam imponi viderat. Tamen insolita ratione dispositae erant, velut in pregrandi tabula latruncularia. Centum ac mille videbantur. Angore pressa est, illas arcas inspiciens, quae... capuli videbantur. Animum cepit et accurate post se ianuam clausit. Quantum sciebat, in illis cistis plurimum uranium conservabatur. Haec videlicet *permutationis merces* erat, quam magistratus pro eius corpore accepturi erant. In unam earum sput.

«Christina Monti?»

Caput repente sustulit, exhorrescens. Vox longinqua erat, sed clara. Perattente circumspexit, sed neminem vidit. «Quis... quis est?»

«Gil May mihi nomen est. Vos me ignoratis, sed ego omnia de vobis cognosco.» Nullo loco definito vox oriri videbatur.

«Vos non video.»

«In cuniculo sum sinistram parietem adiacente.
Per glaciei rimam vos alloquor.»

Statim mulier rimam agnovit, quamquam vix
conspici poterat. Se appropinquavit. «Quae signifi-
catio inest in verbis *omnia de vobis cognosco?*»

«Cognosco omnia quae de permutationis re
cognoscenda sunt, maxime id quod primum est.»

«Quid est?»

Silentium successit, quasi a gelidi parietis altera
parte verba attente penderentur.

«Vos non aegrotatis,» susurravit.

Post aliquammulta temporis momenta Christi-
na sententiae significationem plane intellexit.

Leniter risit, caput quatiens. «Cur hoc menda-
cium dicitis? De hac re minime ludere cupio.»

«Mihi credite: vos non aegrotatis; hoc probare
possum.» Tam firma erat vox, ut eius persuasionem
destruxerit.

«Sed... medici... omnes id confirmaverunt.»

«Illi scelesto generi nolite credere!»

«Eos vehementer increpans mihi non persuade-
bitis.»

Denuo silentium. Is studiose tacere videbatur ut
eam suspensam teneret. «Quod nunc percipitis com-
prehendo, vestri animi tumultum interpreto, sed
confirmo certissima indicia mihi esse, quae nunc
tamen vobis ostendere nequeo, saltem illis monstris
praesentibus.»

«Vegemenes?» Raptim eisdem angoribus affecta est, qui eam ineuntem ceperant. «Ita est, horribiles sunt, tamen eos vera monstra esse non puto.»

«Hocne dicite? Cuiusvis arcae igitur operculum tollite.»

«Cur?» cauta et parum pavens quaesivit.

«Tali modo quanta alienatione Vegemenes affecti sint percipietis.»

Mulier horrore perfusa est, sed metu obrui noluit. Incerta paulisper processit et animam continens impetu tabulam plicatilem levavit. Clamorem edidit, in gula suffocatum. Oculos diduxit: Vegemen intus inerat, qui humanam corporis in quo deversabatur figuram omnino amiserat. Ex omnibus corporis invisibilibus foraminibus tenuissimae radices oriebantur, quae in arcae terra repletae inferiorem partem penetraverant, velut ad vitalem umorem sugendum. Ex ore semiaperto virgultum exsistebat, viticula in cochleam retorta.

«Vidistine?» sine ulla misericordia remotissimus homo investigavit. Illa vocem audivit sed immobilis mansit. Ab illa frementium fibrarum congerie oculos avertere non poterat.

«Horribile est,» postremo susurravit.

«Universi sunt, in illis arcis et in plurimis aliis, similibus locis congestis. Iphis... Vegemenibus... admodum semel cotidie arcae ineundae sunt, ut se sustentent. Solum a glacie liberum exiguum est et

ad motum destinatum; idem solum uranio abundat, quod ad vicem iuvenilium ac *sanorum* corporum in Terram mittunt. Nunc autem mihi discedendum est. Rursus in vestri congressum colloquiumque veniam.»

Magnum silentium fuit et angor. Sola manere nolebat. Metu obturbata, pedibus suis ut se moverent praecipuit. Gradum fecit, deinde alium atque alium. Temere ac nullo consilio arcae incidit et territa retrocessit, tamquam si contagio repellens esset. Effusa amentia eam cepit, effrenata cupiditas currendi, ab illo monstruoso viventium sepulcreto fugiendi. Sed crura lignosa videbantur, solum parvulos gradus faciendi facultatem habebant. Anxie percipiebat illorum fuscorum capulorum opercula quam primum se levatura esse et plurimos Vegemenes cum centum ac mille radicibus velut famelicis brachiis ad eam praetentis egressuros esse.

Deinde arcam iam apertam vidit: vacua erat.

Quasi calamitatem praesagiens, ad ianuam visum vertit.

Kendus virides oculos suos in eam figebat.



Amir Kalimor spatiabatur obscena susurrans, nullo modo se reprimens, mulieris praesentia neglecta. A nonnullis temporis momentis iracundia

turpiloquio erumpebat. More solito Kendus immobilis neglegensque aderat.

«Gil... exsecrabilem Gil, etiam nunc ipsum, male ei sit! Ille nefarius mihi semper molestias gignit. Sed ego eum occupabo, mehercule, sane vero occupabo. Et in taeterrimum Terrae carcerem radio pyrio in cul... inserto demittam.» Christinae visum obiurgantem prospexit. Tunc leniter risit. «Mihi veniam date, domina, sed iamdudum ille me effugit. Quinque et viginti veri homines mihi in sede sunt, tamen ad eum capiendum non valeo, ne speculatoriis instrumentis quidem utens. Quonam modo effugiat prorsus ignoro.» Suspiravit ut leniretur et Kendo versus «Unum ex illis conclavibus,» inquit, «mihi ineundum est. Parietem confringemus et in eius receptaculum penetrabimus.»

Vegenem caput quassit. «Bene scitis hoc fieri non posse. Ea loca intrare nemini licet. Nemini. Pacti caput hoc est.»

«Sed domina Monti...»

«Nihil refert. Cito una de nobis erit.»

Christina perhorruit. Semetipsam in quadam earum arcarum cum centum ac mille parvis radicibus ex ipsa pelle exeuntibus vidit. Vix nauseam cohibuit.

«Domina, bene valetis?» quaesivit Amir, eam pallescentem videns.

«Nihil... nihil est.»

«Aliquid vos rogare velim, si potestis...»

«Age porro dicite.» Celeriter resurrexerat, quasi superioris imbecillitatis eam puderet.

«Aliquid vobis dixitne Gil?» Medicus in eam oculos fixit.

«Quid dicere debuisset?» Haec verba quasi provocans enuntiavit, oculos in eum figens.

«Quaestioni non respondistis.»

«Locuturus erat,» firma voce confestim respondit, «sed ego expavi et...»

«Vere ita accidit?» Medici oculi glacie frigidiores videbantur.

«Profecto,» confirmavit, continenter in eum oculos figens.

«Bene.» Manifestum non erat utrum ei persuasum haberet necne. «Vos oro, si ille nefarius homo denuo apparere audeat, statim mihi dicatis. Nolite oblivisci eum maleficum esse, delirum absurda garrientem. Aegris eos sanos esse dicit et continenter ineptit. Prudentiae vestrae fido. Nolite ei credere. Recte novi unumquemque vestrum ad perexiguam spem anniti, etiam scio Gil ad persuadendum accommodate dicere, tamen, mihi credite, amens est et mendacia profert.»

Christina submisce annuit. Conturbato animo egressa est, dum Kendus eam intuetur, et in conclave suum confugit.

Quaecumque ratione dormire temptavit, non ut a veris rebus se subtraheret, sed vere ei necesse erat mentem laxare, nimis intentam in eventis scrutandis. Aliter in insaniam incideret. Cui crederet? Gilne? Hoc summopere cupiebat, quia ille speculam ipsi reserabat. Quam ob rem ne caperetur timebat. Vere amens esse poterat, vere ineptiae illius verba esse poterant: hac in re scilicet frustratio ipsius animum vastabat. In lecto molle strato se in utramque partem versavit. Sed cur ille scenam composuerat? O stulidam! Omnia uno verbo facile explicari poterant: insaniam. Amenti opus non erat argumentis. Agebat et iam satis. Amentem?

Ex improvise in somnum incidit. Membra se remiserunt, quamquam oculorum bulbi sine intermissione sub palpebris demissis se movebant.

Ita in media glaciei pariete foramen patefieri non animadvertit. Incredibilis talpa mechanica prodiit. Minimus apparatus impressioni televisificae aptus se torsit et lectum petit. Talpa aegre e pariete lapsa est, se in terram provolvens et insolita reclamationis murmura emittens. Deinde, cum situm constituit, ad lecti latus appropinquavit. Sonitus etiam atque etiam emisit, sed mulier experrecta non est. Tunc metallicis pediculis posterioribus consurgere temptavit: nimis altus lecti margo. Quid faceret? Subito eius terraesensoria post ianuam tenues passus perceperunt. Vix sub lectum se condidit, cum

ianua aperta est. Truculentus visus veloci oculo locum spectavit: custos erat ibi ab Amir positus. Glaciei foramen ex adverso erat et homini ianua omnino aperienda erat ut id in conspectum caderet. Contra, eius oculi in mulieris crura intenderunt, quae per somnum se nudaverant. Aliquantum temporis ea observavit, deinde, recognitionis exitu contentus, fores clausit et abiit. Velut recreata, talpa submisso sonuit, deinde in apertum exiit; incerta videbatur. Christina frequenter se movebat, tamen e somno non excitabatur. Tunc talpa consilium cepit: mechanicum os aperuit, ex quo exiguum mechanisma ignivomum ortum est, quo sine dubio ipsa usa erat ut in durissima glacie sibi iter aperiret. Postea, sine cunctatione, unum ex lecti pedibus secuit. Qui nutavit, sed aequus exstitit. Mechanica bestiola nonnulla contumeliosa murmura contra adversam fortunam edidit, deinde nodum aliter sibi expediendum non esse statuit, ac si alterum lecti pedem secaret, quod prorsus fecit. Christina necessarie expectata est, cum de inclinato lecto delapsa esset. Eius oculi somno adhuc gravati erant, cum *rem* vidit se in orbem moventem. Exterrita autem non est, quia eius oculi paginula in talpae dorso infixae confestim attracti sunt. Hoc tantum scriptum erat: ME SEQUERE.

Amens aut sanus, certe Gil hoc fecerat. Et illa rem ad vivum resecare volebat, ut arcana solveret.

Celeriter se vestiit et expedita fuit. Metallica bestiola iniquo animo exspectavit, continenter spatians et murmurans ut trepidus vir. Illa denique fores aperuit. Talpa apparatus impressioni aptum extraxit et in omnes partes intuita est. Via patens aperta que erat. In modum incredibiliter humanum talpa annuit et validis pediculis denuo mota est. Nonnumquam consistebat ad solum auscultandum, deinde iter renovabat. Quam multa cunicula ingrederentur et quotiens deflecterent Christina non curavit. Subito talpa ante ianuam constitit. Receptaculum erat, in quod iniit. Paulum in latitudinem patebat. Parvulum ducem eo intrantem secuta est.

Sub pedibus inane percepit. In glacie lapsa est, magis stupore quam metu vociferans, cum omnia turbinis instar circumvolverentur. Cuniculum leviter in inferiorem partem inclinabat interminatumque videbatur, sed ita non erat: pauca post temporis momenta ex improvise lucem vidit et magnam tritae glaciei copiam appropinquantem. Antequam consisteret fere omnino in eam se mersit. Cor temere palpitabat, cum ipsa langueret.

«Salve! Cara in domum meam venis. Mihi nomen Gil May est.»

Ea leviter subrisit antequam animo relinqueretur.

Index

Donato Altomare

Quid ad hoc opus nos induxerit V

Donato Altomare

Mecum mane, Domine, quoniam
advesperascit XI

Donato Altomare

Cor gelidum XXV

Donato Altomare

De Saturno LXV

Mike Resnick

Quaestio de dogmatibus LXXXIII

(Paratum a) Roberto Bianchi

Glossario latino-italiano
Latin - English glossary CXIII